



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

CXVIII. Das Kloster Diesdorf bekundet, daß Heinrich, Pfarrer zu Abbendorf, ferner die Officialen des Seelenamtes und Werner, Knecht des Klosters Diesdorf, durch den Ankauf von Hebungen aus dem Dorfe ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

CXVIII. Das Kloster Diesdorf bekundet, daß Heinrich, Pfarrer zu Abbendorf, ferner die Officialen des Seelenamtes und Werner, Knecht des Klosters Diesdorf, durch den Ankauf von Hebungem aus dem Dorfe Werle sich Gedächtnißfeiern gestiftet haben, am 6. Januar 1337.

Nos Albertus, dei gracia prepositus, Elizabet priorissa Totusque conuentus sanctimonialium Cenobii In Dyfdorp vniuersis fidelibus christi hoc scriptum visuris aut auditoris salutem in domino sempiternam. Cum ea, que fiunt in tempore, simul cum cursu temporis euanescant, necessarium esse dinoscitur, vt ea, que aguntur, litterarum testimonio perhennentur. Hinc notum esse cupimus tam modernis quam futuris, Quod Dominus Henricus, plebanus ecclesie In Abbendorf, dimidium chorum filiginis, quem in villa werle in curia Bernardi pie memorie propria pecunia comparauit, ad auementacionem diuini officii animarum pro remedio anime sue assignauit perpetuis temporibus possidendum, tali condicione adiecta, quod quecunq; sanctimonialium dicto officio preuerit animarum, in die sancte Ascensionis domini conuentui seruicium refectionis de dimidio choro prenarrato fideliter ministrabit, memoriaque eiusdem domini Henrici orationibus singularum die pretaxato habeatur commendata. Officiales vero animarum caritatem, que ex deo est, sagaciter intendentes in curia predicta Bernardi eciam dimidium chorum comparauerunt pecunia collecta ex elemofinis ad officium prenomiatum a fidelibus christi donatis, statuentes pia deliberacione, vt in die pentecostes de dicto filigine conuentui singulis annis a procuratricibus animarum refectione distribuatur. Insuper wernerus, famulus nostre ecclesie, in villa et curia memorata eciam dimidium chorum propria summa ad tempora vite sue optinuit pacifice et sue aliquo impedimento possidendum, Post mortem vero suam pro eterna retributione peccaminumque suorum remissione assignauit eundem officio animarum, sub tali forma, vt procuratrix officii predicti In festo Sancte Trinitatis conuentui preuideat seruicium fidele, quam diu durauerit cenobium nostrum. Cantrix eciam, que extiterit, de curia sepe narrata recipiet octo solidos singulis annis ad emendationem librorum et ceterorum, que spectant ad officium illud, pro quibus singulis septimanis procuret missam de Annuntiatione cum collectis Ecclesiam de sancto Johanne Inclina et fidelium eo die, quo se presentauerit festum illud gloriosum, et si occurrerit anniuersarius vel aliqua celebritas sanctorum, tunc in diem alterum exponetur, Sic tamen, ne misse statute a fundatoribus ecclesie per illam negligantur. Item hec pia institutio perpetuo ritu obseruetur pro omnibus, a quibus officium animarum est fundatum et elemofinis roboratum, et qui illud pro futuro auementauerunt subsidia et beneficia inpendendo. Ne ergo in posterum super hoc facto aliqua oriatur calumpnia dubietatis, hanc paginam fecimus conferibi et sigillorum nostrorum appensione communiri. Datum Anno Domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. tricesimo septimo, in Epiphania Domini.